Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 817

Quelle:
Copyright:

edoceam, Noſter aptius: *ut non otioſe doceam*. Atque fortaſſe per decurſum ejusmodi plura ſe offerrent. Quod pro inſtituto meo Lectorem monuiſſe ſufficiat. *Praefationem* nobis Elenchus Capitum excipit, in quo Caput XXVIII. *Quid legant, qui ſcripturas logicas introire non poſſunt*, et Caput XXXI. *De medicis*, inſcribitur. Aliter apud *Garetium*. Extrema Operis: *ſi pro nobis invicem pio domino ſupplicemus.*

II. *fol.* 24. Excerptum ἀνεπιγραφον ſequitur, quod init: *Grammatica a litteris nomen accepit* &c. et eſt ejusdem *Caſſiodori* e Libro *ſecularium Lectionum*, primoque *Capite*, apud *Garet. cit.* p. 559. pertinens usque ad verba: *Sed quia continentia magis artis Grammaticæ* &c. quorum loco e *Capite* ſecundo *de Arte Rhetorica* adjecta ſunt paucula illa: *Nunc ad artis Rhetoricæ diviſiones — tractata dilatatur*, quae *Garetius* habet p. 563. Non deeſt huic Excerpto varia lectio corrigendo etiam *Garetio*; nam dum is *Helenum atque Priſcianum ſubtiliter Attico ſermone* loqui facit, rectius Codex: *grece helenus, latine priſcianus.*

III. *fol.* 25. *Incipit de arbore in paradiſo poſita.* Autoris mihi ignoti Diſputatio bifariam ſecta, quae ſic ingreditur: *In veteri Teſtamento id eſt Geneſis legimus Dominum dixiſſe ad adam. Ex omni ligno quod eſt in medio paradyſo edetis. de ligno enim dinoſcentie boni et mali. quod eſt in medio paradyſo non edetis. qua die enim ederitis moriemini. Multos ſcimus clariſſimos fratres de hac arbore queſtiones uanas mouiſſe. quo dicunt. adam non uoluntate peccaſſe. quia in illa arbore fuit dinoſcentia boni et mali. et dum hominis culpam excuſare nituntur. ſic deo conditori iniuriam faciunt. Quibus ratio reddenda eſt. ne diutius queſtiones uanas moueant.* Itaque cauſam Dei et liberi Arbitrii agit, dum concludat: *Multa ſuperſunt de iſtis quę dicenda ſunt. ſed hora preterit ſingula dicere. ne longitudo ſermonum faſtidium faciat auditoribus. debitorem me dico. dilectionem* (dilationem?) *peto. ſed uereor ne debitor occurrat. et auditor abſentiam procuret.* Altera Diſputationis Pars inſcribitur: *Vnde ſupra*, et inchoat: *Debitum de quo ſupra curo ſolvere ſermone. ſed priſtinos meos non inuenio creditores. aliquos video. aliquos requiro* &c. Pergit acute reſpondere objectis, et ſiſtit in argumento: Quemadmodum homicidium Caini non poteſt imputari Adae, ita nec Deo Adae peccatum. Extrema, ſed limam paſſa, ſunt: *ſic nec quod adam peccauit imputamus* (Deo). Per decurſum bis ab *Imperatoris cartula* et *precone* ſimilitudo ducitur. Ceterum nihil, unde Scriptorem, qui *Auguſtinum* diſputantem imitatur, aut tempus ſcriptionis deprehendas, quamvis ad Controverſias *Pelagianas* pertinere manifeſtum ſit.

IV. *fol.* 27. p. 2. *Annotatio interrogationum ſcęleſti* (Caeleſtii) *Pelagiani et reſponſionum S. Auguſtini pari numero digeſtarum ita ut unicuique interrogationi eiusdem ordinis conueniat. i. prima primę ſecun-*